

**1994-09-16 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Sollemni Appropinquante’****IOANNES PAULUS PP. II**

**PISTOLA DATA  
VERGILIO S.R.E. CARDINALI NOÈ,  
ARCHIPRESBYTERO PATRIARCHALIS  
BASILICAE VATICANAЕ**

*Venerabili Fratri Nostro  
Vergilio S.R.E. Cardinali Noè,  
Archipresbytero Patriarchalis Basilicae Vaticanae*

Sollemni appropinquante die festo quo Tu, Venerabilis Frater Noster, ab inito sacerdotio Tu feliciter decem recoles lustra, mens Nostra laetabundo cantico resonat: “Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit”. Magno quidem gaudio hoc invitamentum accepimus Tecumque hodie Deum benedicimus atque glorificamus, Eique grates referimus pro tot ac tantis donis quibus Ipse Tuum ornare voluit sacerdotium.

Nos vero vitae Tuae curriculum iucundo animo percurrimus inde ab exordiis Tui ministerii, atque laetanter perspicimus quae operatus es non tantum in servitio Ecclesiae Papiensis et Conferentiae Episcopalis Italiae, verum etiam in bonum huius Sedis Apostolicae nec non in spirituale universae Ecclesiae emolumentum. Nolumus profecto singulos locupletis curriculi Tui actus recensere; magna tamen delectatione Tuam industriam apostolicam extollimus, quae nonnisi sapidus est fructus ex Tua humana ac sacerdotali institutione profluens. Doctoris titulo insignitus, varias tradidisti ecclesiasticas disciplinas; praecellenti Sacrae Liturgiae scientia potissimum eminuisti, quae, ad postulata Concilii Vaticanii II, neminem latet quanti hac nostra aetate ponderis sit habita.

Pariter Nobis admirationi est opus Tuum apostolatu liturgico praestitum; item praetermittere non patimur Liturgiae provehendae conventus, quos sive pro aliquibus locis sive pro universa Ecclesia sapienti parasti consilio. Praeconiis cumulamus etiam actuositatem quam posuisti dum munus agebas secretarii Sedis Actioni Liturgicae promovendae, quam eodem anno Italicus Episcoporum Coetus veluti Institutum Liturgicum Pastorale sibi assumpsit. Anno MCMLXX Magister Caeremoniarum Pontificalium renuntiatus, statim opus Liturgicae renovationis exsequendum curavisti ita ut christifideles actuose et fructuose Sacram Liturgiam participare possent. Tot tantisque meritis clarum, singulari honore Te, Venerabilis Frater Noster, honestandum putavimus; quamobrem prius munus Secretarii Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino Tibi commisisimus, deinde, aliquot post annos, quasi coronam adientes, Sacra Patrum Cardinalium Purpura Te exornavimus.

Hodie igitur gratulantium chorum spiritu praeeentes, Tibi cuncta fausta, felicia ab omnium bonorum Largitore enixe precamur, dum Te atque universos, qui prope vel procul huius Tuae celebrationis erunt participes, Apostolica Nostra Benedictione, superni auxillii et praesidii pignore, peramanter prosequimur.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XVI mensis Septembris, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**